



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-627013-p0001-8

DFG



20

9654 3.

DE SVBSIDIIS IMPERII
A SVBDITIS DEBITIS IN GENERE
ET IN SPECIE
DE PECVLIARIE ORVNDEM MODO
CAPITATIONE
(vulgò) Kopffsteuer/
DISQVISITIO

QVAM

SVB PATROCINIO ADORANDAE TRINITATIS
EX DECRETO MAGNIFICI, AMPLIS-
SIMIQVE IVRIS CONSULTORVM COL-
LEGII IN CELEBERRIMA VNIVER-
SITATE ARGENTINENSI
PRO SVM MIS IN VTRQVE IVRE HONO-
RIBVS ET PRIVILEGIIS RITE
OBTINENDIS,

Publicè & Solenniter examinandam proponit
SAMVEL HVNDIVS MISN.

ad D. 7. Octobr. horis & loco consuetis.

ARGENTORATI
TYPIS FRIDERICI SPOOR.
M. DC. LIV.

V I R O
MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
AMPLISSIMO
DN. BENEDICTO CARP.
ZOVIO,
IVRISCONSVLTO CONSVMMATO
ET INCOMPARABILI
SERENISSIMO & POTENTISSIMO ELEC.
TORI SAXONIÆ A CONSILIIS INTIMIS
ET IN SVPREMO APPELLATIONVM
IUDICIO ADSESSORI &c.

DOMINO ET PATRONO SVO
ÆTATEM VENERANDO

D. D. D.

SAMVEL HVNDIVS.

A. Q.

IN NOME JESU.

THESIS I.

Rem publicam in modum viuentis alicuius corporis absque suis sibi propriis alimentis & mutua membrorum opera, neque consistere naturaliter, neque sustentari alia ratione vlla posse, tam nobis certum est, quam quae sensibus percipimus. Est enim Respublica Viuentium Societas, sibique finem propositum habet bene viuendi: Viuere autem sine victu impossibile est: teste principe Philosophorum, Lib. I. Polit. c. 5. id quod eleganti Apologo illustrat Menius Agrippa apud Livium Histor. Rom. Lib. 2. & testatur ipse Imperator Iustinianus Nouellâ 149.

2. Vniuscuiusque autem Reipublicæ præcipuae duæ sunt partes: Altera quæ paret, altera quæ imperat. Quarum etsi unaquæque alteri ita vnta sit, vt nulli neque bene, neque male esse queat, quin idem quoque sensus reliquam tangat atque adficiat; Attamen cum & in corpore humano videamus aliam curam dominantis, aliam seruientis partis esse; Omnino etiam in corpore politico peculiaris ratio habenda & huius & alterius erit, vt videlicet vtraque habeat vnde foueat & officio suo dignè fungi queat; vti disertè docet Aristoteles lib. 7. Polit. c. 9. Ita tamen vt in potiori potior ponatur cura, innuente eodem, lib. 4. pol. cap. 4.

3. Hinc uti in homine quidem facilè deprehendimus ignobilorem partē digniori ita inseruire, vt veluti instrumentum sit, quo ea acquiruntur atque parantur, quæ ab illâ principe postea in usum totius substantiæ sunt dispensanda; Eodem sanè modo nec in Republ. aliter sese res habet; summeque necessarium est, vt ea, quæ subest, pars debita subsidia suggerat atque opes, quibus superior in administrando imperio vt i tempestiuè possit.

4. Ad ipsius verò imperii gubernationem quæ requiruntur, planè vel ad ipsum Esse, vel ad bene Esse Ciuitatis faciunt; Seu ut cum Iuris Doctoribus accuratius distinguamus; Ex l. 79. ff. de V. S. & l. 1. ff. de Impens. in rem dot. Omnes Sumtus vel Ornatus, vel Utilitas vel inicitabilis Necesitatis causa impenduntur.

A

s. Po

10,
R.P.
ATO
ELEC.
MIS



5. Porrò rerum illarum, quarum in Ciuitate, vel elegantia,
vel utilitas, vel necessitas consideratur ea ferè est natura, ut vel Ordinariè seu regulariter ita eveniant, vel Extra ordinem & Insperatò.

6. Prioribus quidem, quò præcipue 1. Ipsius Regiminis,
omniumque Magistratum & Munerum publicorum diligens cu-
ra. 2. Possessionum, Ædificiorum, Munitionum & Collegiorum
cultus & conseruatio. 3. Publica Ciuium Tranquillitas & opum
sufficientia referuntur, in tempore prospici potest atque ordine;
De His certa regula non datur, sed subueniendum eis in loco est, &
prout casus sese offerunt. Quæ & ipsa quoque diuersi generis
sunt, & velluculentæ utilitatis, qua Respubl. oppidò iuuari possit:
*Vel subito emergentium damnorum amoliendorum appellatio*nibus ve-
niunt; qualia tam à natura, v.g. tempestate, Aquarum inundatione,
morbis, terræ motibus, incursionibus ferarum &c. quām ab hoste
siue interno, siue externo, quò bella pertinent & rapinæ, nec non
seditiones ciuiles, inferuntur. Quibus certè omnibus enixissimè
atque certatim succurri debet ab iis, qui Reip. non ignaua mem-
bra esse volunt: Quemadmodum hæc egregie atque significanter
complexus est ipsem Imperator: Nouellâ 161. cap. 2. inquiens: Ne-
que enim aliter conseruare licet Rempublicam, nisi pientissimæ præsta-
tiones importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur ca-
piæ, vt resistatur hostibus & per agros & vrbes agantur Excubie: per-
fruuntur item reliqui Ordines attributis sibi salariis, reparantur quo-
que muri & vrbes, denique omnia alia proueniunt, quæ communem
Subditorum Viilitatem concernunt. Hisque planè gemina etiam
tradit Philosophus, lib. 7. polit. c. 8. vbi quæ Ciuitati maximè sunt ne-
cessaria prolixè recenset.

7. Ad hæc autem cuncta ritè curanda seruire debemus Rei-
publicæ & Operæ & Opibus nostris. Atque priora tempora si respi-
cimus, apparet ferè plus in illis, quām in his positum fuisse, con-
sentientibus in hoc omnibus, qui abstrusioris antiquitatis monu-
menta quædam reliquè; Quod à primis initiiis, quibus vel Ciui-
tates ortæ sunt, vel Regna cepere; Reipublicæ ministeria à Ci-
uiibus viritim atque per vices fuerint administrata, tam pacis
quām belli tempore, absque ullâ mercede, nisi quæ prædæ fortè ex
bello venerint, & inter ciues illos præcipue, qui rem gesserant, fue-
rint distributæ; quandoquidem gentes olim ex rapto plerasque
vixisse præclarè Piccartus exponit Commentar. in lib. 1. cap. 8. Polit.

Aristot.



legantia,
vel Ordin.
erat.
geminis,
igens cu.
egiorum
& opum
e ordine;
oco est, &
i generis
ri possit:
onibus ve.
ndatione,
n ab hoste
, nec non
nixissimè
ua mem.
nificanter
uiens: Ne
na presta
iuntur co
ebiae : per
entur quo
ommunem
ina etiam
e sunt ne
emus Rei
ra si respi
uisse , con
tis monu
s vel Ciui
teria à Ci
tam pacis
æ fortè ex
erant,fue
plerasque
p. 8. Polit.
Aristot.

aristot. Et de Romanis idem disertim Liuius edocet Decad. I. lib. I. in-
quiens: Seruius primus Censum instituit fecitq; vt munia pacis ac belli
non viritim, vt antea, sed pro possessione pecuniarum Ciues obirent. Ex
proprio vero patrimonio in publicum aliquid conferre nemo te-
nebatur, præterquam quæ suâ quisque sponte veluti dona dabat:
quod de Persis memorat Herodot. in Euterpe. Et ex eo Bodinus lib.
4. de Rep. cap. 6.

8. Postea verò cum crescentibus rebus omnia in maius au-
gerentur, & expeditius conducibiliusque omnino iudicaretur, vt
Officiis publicis certi homines destinarentur, qui illis vel per vitam,
vel per iustum temporis spatum ex merito præesse possint: Et bel-
liquoque casibus perpetuo milite potius, quam tumultuariè col-
lecto, vti gentes didicissent; Peculiares Possessiones atque reditus
constitui cepere, vnde merces & præmia venirent illis, qui Reipu-
blic. operam suam præstisset: Ita factitasse Ezechiem Vatem
in conformando suæ Ciuitatis statu: Ezech. cap. 45. & 48. Et Ægy-
ptios apud Diodor. lib. 2. legimus.

9. Et sic quidem pro tempore, donec Reipublicæ suo sem-
per loco stare daretur & omnia ordinario rerum cursu fluenter;
rectè satis prospici potuisse præcipuis necessitatibus nullum est du-
biū; At in illis verò casibus, quos supra nemine opinante eueni-
re solere diximus, & plerumque plus momenti habent, adeò vt ad
rem gerendam vix modò constituti sumtus possent sufficere, sanè
ipsa ratio effecit, vt tuendæ publicæ salutis causa Ciues ex propriis
suis facultatibus publicorum reddituum defectus supplerent, atque
tantum contribuerent, quantum rei ratio postularet: quæ quidem
collationes non nisi arbitrarie quoque primùm fuere & perraræ
valdè, nec diutius durarunt, quām ipsamet occasio, quæ his cau-
sam dederat; exemplum habemus apud Romanos ex Liui lib. 26.
Et Floro lib. 2. c. 6.

10. Sed nec hâc quoque viâ ipsi rerum summæ satis fuisse
cautum vndique, obseruatum deinceps fuit, nimirum eueniebat
sæpissimè, vt quæ hâc ratione conferri debebant, nec eâ, quâ par-
erat, æqualitate ab omnibus, nec tempori satis contribuerentur,
sicq; haud raro rei gerendæ occasio non solum amitteretur, sed &
amissa in maximum discrimen cuncta adduceret: Vnde factum
denique, vt, sicuti varius rerum euentus in futurum magis prouis-

dos semper reddidit mortales, ea, quam ipsa veluti natura suggessit, ratio iniaretur, & pacis in primis atque quietis tempore illa pararentur, quæ vel in bello, vel quibusvis aliis necessitatibus usui esse possent; Atque sic postea collationes istæ ad conuenientem mediocritatem redactæ, iusta proportione descriptæ, & ordinariæ atque perpetuæ factæ sunt, iisque asseruandis, fructibus quidem atque speciebus, Horrea & Receptacula; Nummo verò reperto, quo omnia negotia facilius transiguntur, teste Philosopho lib. 5. cap. 5. & lib. 1. polit. c. 6. Custodiendis pecuniis publica Æraria extracta sunt, Magistratusque delecti, qui horum curam gererent. Et his tandem omnibus, in illis in primis Ciuitatibus, ubi arbitrio Vnius Republica staret, Fiscus superadditus est, cui inferenda præcipue illa fuere, quæ in ipsorum Regum siue Principum rei domesticæ sustentationem cedebant: Quem modum apud Persas primùm à Dario, apud Romanos à Seruio Tullio Regibus fuisse introductum, Herodot. lib. 3. & Dionys. Halic lib. 4. Antiquit. Rom. scriptis consignarunt.

II. Huius inuenti commoditate usas fuisse plerasque gentes, & ipsum quoque populum Iudaicum, nec non Ecclesiasticas communitates, de quibus vid. Klock. de Ærar. lib. 1. cap. 2. n. 38. ex tot tantorumque thesaurorum congestione & fide dignis scriptoribus ipsisque sacris Literis ignorare nemo potest: Quin & hodiè eius usum frequentissimum esse experientia testatur. Non defuere tamen huic quoque rei maximæ difficultates, adeò ut à multis præcipue publicorum Ærarium Erectio, nec conducibilis semper; nec tuta satis habita fuerit; quemadmodum prolixè disputat Klockius in Tractatu suo de Ærario lib. 1. cap. 1. n. 22. & seqq. nec non Besoldus in discursu de eodem. cap. 1. Tit. 1. & Scipio Ammiratus lib. 18. dissertat. polit. in Tacit. discurs. 9. Hoc sanè exploratum est, non omnibus Rerum publicarum generibus idoneum eiusmodi patrimonium esse: & hodiè apud Venetos capitale haberi de publico ærario siue thesauro cogendo mentionem facere, idque saluberrimum institutum recentis historiae solertissimus scriptor Cominæus iudicat, lib. 2. de bello Neapolit. cui iunge Bocerum in Relatione de Ciuitate Veneta. Quin etiam Imperii nostri Romani ferè eum esse statum multi existimant, vt Ærario locus in illo vix esse possit: Et ex Veteribus apud Spartanos eius usum quoque nullum fuisse



stuisse Aristoteles monet lib. 2. polit. c. 7. in fin. & Archidamus apud Thucyd. lib. 1. Confer. Piccart, Commentar. ad locum Aristot. mod. allegatum.

12. Huius quicquid sit, manifestum planè est, quæ contra Æteriorum institutionem adferri solent, talia ferè esse, ut non nisi per accidens illis competant, & hominum potius malitiæ, quam rei ipsius naturæ adscribi debeant; sicuti pulchre demonstrant Klockius & Besoldus locis supra citatis; Et Spartanorum errorem grauiter reprehendit ipsemet Philosophus. Præterea hoc extra dubitationis aleam manet, Rempublicam ad communem omnium salutem conseruandam, præcipue in casibus subitis, indigere congruis sibi subsidiis, à Ciubus omni modo conferendis; nec rationem æquabiliorem ullam esse, quam quæ supra nobis laudata fuit th. 10. Ut nimur à Subditis, pro commodo cuiusvis Reipubl. eiusmodi collationes petantur, quibus vndiquaque publicæ felicitati prospectum esse satis queat. Imò hoc absque remedio hodiè vix ullam posse subsistere Ciuitatem statuimus.

13. Cuius sententiæ maximè perspicuam certitudinem nemini non probari, consensus omnium penè gentium demonstrat; De modo autem publicorum subsidiorum collationem à Ciubus exigendi non eadem est conformitas. Quemadmodum enim nec omnia quibus homines nutrimur omnibus conuenire aut prodeesse deprehendimus; Nec eadem iisdem semper. Ita pro diueritate Rerum publicarum, Regionum, Ciuium atque Temporum, alios aliis iuuari atque conseruari videmus: euidenter hoc declarat Demosthenes Rei Politicæ non ineptus Arbitr. Orat. 1. Olynth. cuius verba vt integra demus operæ pretium erit: "Εσι δὴ λαεπὸν, οἴμαι, πάντας ἐσφέρειν, ἀν πολλῶν δέη, πολλὰ, ἀν ὀλίγων, ὀλίγα. Δᾶ δὴ χει- μάτων, καὶ ἀνευ τετων εδὲν ἐσι γνωμῶν τῶν δεόντων. λέγοσι δὲ καὶ ἄλλοι τινὲς ἀλλοί πόροις. ἀν ἔλεσι, ὅσις υἱοῦ ἀν συμφέρειν δοκεῖ. Καὶ ἔως ἐσὶ νε- πός, ἀντιλαβεῖται τῶν πραγμάτων: Reliquum igitur id est scilicet, ut omnes conferant: Si multis opus erit, multum: Sin paucis, parum. Omnidò certè opibus opus est, nec sine his quicquam potest rite administrari. Indicant alii alias parandi vias. E quibus eam vos eligetis, quæ maximè conducere Vobis videbitur; Et rerum curam, vt occasio adest, suscipie- tis.

14. Hinc scilicet tam varia apud varios Impositionum, In-
A 3 dictio-

ditionum, Contributionum, Largitionum, Tributorum, Vectigalium, Censuum, aliorumq; Subsidiorum adinuenta sunt genera, prout vel Ciuitatis vel administrandæ rei rationes, vel temporum atque negotiorum articulos id requirere, vel ex ingenio atque re suâ fore illi iudicarunt, quos penes Reipublicæ Maiestas atque imperium fuit. His enim rei huius gerendæ potestatem in primis competere, non solum ex illis, quæ supra lib. 3. adstruximus, sed vero vel ex hoc quoque liquet: Quod quibus commissa est Reipubl. salus iisdem necessum sit, committi omnino & illa oportere, sine quibus salus ista procurari nequit. Vnde etiam in sacris Literis & apud omnes pene gentes Impositionum harum & Collectarum iura ipsis Iuribus Maiestatis fuere annumerata; attestante Seldeno de Iure Nat. Gent. lib. 6. cap. 17. & 18. Quis pulchre congruit ratio quoque Iuris nostri; Quâ illi, cui concessa est Iurisdictio, ea quoque concessa videntur, sine quibus hæc explicari non potest: l. 2. ff. de Iurisd. Atque adeo cogendi vim habet, & animaduertere in eos potest summus Magistratus, qui ex fraude hîc agunt. l. 2. §. 20. ff. de Quæst.

15. Quemadmodum autem in promouendis commodis Reipublicæ ut plurimum peruersè agitur, & propriam ferè magis quam publicam utilitatem spectare solent illi, qui præsunt: Ita etiam certè in mediis hisce & præcipue pecuniaris subsidii perratò eâ quâ decet fide homines versari, supra quam satis est, experimur, malitiæ que hîc eò faciliòr datur proclivitas, quò maior est mortaliūm alienis facultatibus abutendi cupido. Peccatur autem non uno, sed infinitis penè modis, quos recensere nominatim operosum nimis esset: Sufficiat hic summa saltē capita tetigisse: Nimirum peccatur 1. ab Imperantibus. 2. à Subditis: Imperantes peccant 1. In Imponendis eiusmodi Oneribus, dum vel nimia faciunt; vel non eo, quo conuenit modo. 2. In Erogandis, dum non impenduntur iis rebus, quibus maximè debebant: 3. In exigendis vel rigidè nimis vel intempestiuè. Vbi in primis Enormitates & nequitiæ Administrorum quoque sub censum reuocandæ veniunt. Sicuti hæc omnia exponit egregiè Lipsius lib. 4. pelit. c. II. Subditi autem peccant vel planè Obsequium Imperio & Necessitatibus publicis debitum detrectantes; Vel Legibus iussisque Reipubl. fraudem facientes; Vel non nisi cum murmure & indignatione demum rem præstantes; Similes reuera rabiosis canibus,



nibus, qui in lapidem irruunt, non in eum à quo proiectus fuerat.
Contra præceptum Apostoli Rom. 13. & Ipsi Christi Matth. 12. v. 17.
Et in eiusmodi Collationibus ita quidem rem comparatam esse
animaduertimus, vt haec tenus ratio excogitarivel inueniri, norma
adeò exacta nulla potuerit, quâ vnde quaque nemini fieret iniuria;
Nimirum si nulli, certè hîc locus erit Aristidis dicto: *Rerpubli-
cam opus habere multâ Injustitiâ.* Modos enim omnes tamen inge-
niosè & variè à variis conflictos & solertissimè adhibitos si accura-
tius exutiamus, nulli non aliqua deprehendetur iusti & æqui
aberratio. Estque præterea tanta hominum peruersitas, vt etiam
quamvis rectissimè omnia sese habeant, nunquam non causa desit
ingeniis turbidis & inquietis conquerendi refragandique. Nec
raro contingit, vt illos, quibuscum quam benignissimè agitur,
omnium videoas impatientissimos. Vnde etiam vix res vlla con-
citandis quoque motibus, hâc aptior priorique habetur, adeò vt
summa cautione & prudentia semper sit opus. quæ omnia i do-
neis illustrare exemplis, etiam domi cognitis & valde recentibus
possemus, si instituti id ratio permitteret.

16. Cæterum totius huius negotii subsidiarii intricatissi-
mam doctrinam & summas difficultates, vel exinde arguere pos-
sumus, quod ex Veteribus hodiè supersit nullus omnino, qui accu-
ratius pleniusq; illam descriptam reliquerit. *Plato* quidem & *Ari-
stoteles*, qui primi Republicæ gerendæ artes in methodum redi-
gente conati sunt; nulli fere magis parcí quam hîc apparent! Ille
quidem vix loco uno atque altero eam tangit potius, quam deter-
minat. Hic verò lib. 1. polit. cap. 5. & 7. acquirendi artes præci-
puas tradens, magis sibi proposita habuisse ea videtur, quæ singu-
lis Ciubus, quam quæ Ciuitati in primis conducunt; vtut in fine
Libri 7. tandem afferat: *Nosse hæc & ciuibus Viris* (Rerpubl. admi-
nistraitibus) *vtile esse: Multis namq; Ciuitatibus opus esse questu & ta-*
libus rationibus, vt domui, atque magis etiam: Adeo vt quidam, qui ad
clauum Ciuitatis sedent, in hac unica Ciulis curæ parte rectissimè oc-
cupentur. Et pertinent ita ea potius ad commoda ex propriis Ci-
uitatis Possessionibus de quibus supra th. 8. rectè percipienda, quam
ad illa subsidia, quæ à Ciubus veniunt. Quæ & ipsa in systema-
te Politico passim indicantur quidem; præcipue verò in libro 2. Oe-
con. enucleatius paulisper proponuntur: memoratis modis variis
è quibus

de quibus prouentus in Rempub. sint expectandi: sed tamen vix eis delineatis, statim ad prauarum hanc circa rem artium recensionem Autor dilabitur. Xenophon & præclarus Historicus & egregius Philosophus peculiarem de Vectigalibus Libellum reliquit, in quo tamen non nisi ea exponit, quæ ad augendos prouentus Atheniensis saltem Reipubl. proprios facere est arbitratus; cuius rei mirum est, quam solers ipse fuerit, prudentissimaque eius monita hodiè quoque quām multis locis esse saluti possent! Latinorum solus fere Cicero, quæ huc pertinent, sparsim in scriptis suis interserit, & præcipue lib. 2. de officiis ad finem; Vbi non inutilia obiter saltem monet: Verūm concludit tandem: Sed toto hoc de genere, de qua-renda, de Collocanda pecuniā, etiam de Utendā, commodius à quibus-dam Optimis Viris, ad medium Ianum sedēntibus, quam ab illis Philosophis, vllā in Scholā disputatur.

17. De Historiæ demum Concinnatorum hanc circa rem neglecto officio placet in medium adferre Eruditissimi Viri FRANCISCI PATRITII iudicium in dialogo 17. De Historia, ex Italico idiomate ita translatum: Veniunt iam mihi alia quædam in mentem, quorum tam necessaria est cognitio in historiis, ut sine iis vanæ omnino videantur: nam perexiguum fructum Lectori adferre possunt, si planè victus rationem, quā Ciuitas vtitur, omittant: Opes item ac redditus, atque formam, Reipublicæ: Quorum duo priora ab omnibus Historiis neglecta sunt, posteriora verò raro & negligenter descripta. Ego verò hæc sentio omnia scribenda esse, si non copiose, saltem leuiter attingenda: nam sicut vrbi & imperio ad sui sustentationem necessaria sunt, ita in perfecta eorum historia comprehendendi par est; cum vt maiorem fidem mereretur historia, tūm vt eius exemplo, aliae iisdem angustiis constitutæ, vterentur. Debent igitur redditus ac Vectigalia Reipubl. vel saltem obiter annotari, quo pacto paulatim creuerint, vna cum aucto Imperio: nec inepte etiam narrabuntur sumptus publici. Atq; hoc quidem è magis faciundum est, quoniam si nostra tempora, cum antiquis illis conseruamus, non possumus non obstupescere, Romanos primo bello Punico, cum nondum extra Italiæ fines eorum imperium extenderetur, trecen-tas & triginta quinque Triremes publicis sumtibus armasse: cum tamen Turca tantus Monarcha, qui que maius in Oriente imperium obtinet, quam ipsi cum in vigore essent, vix iam instruere queat medium partem earum nauium, quæ nostro tempore in usu esse consueuerunt, dimidio scilicet



en vix eis
nsionem
gius Phi-
n quo ta-
cheniens
ei mirum
ita hodie
solus fe-
rserit, &
er saltem
, de qua-
à quibus.
llus Philo-
circa rem
iri FRAN.
ex Italico
mentem,
æ omnino
t, si plane
reditus,
Historicus
Ego verd
attingen-
a sunt, ita
rem fidem
is constitu-
vel saltem
o Imperio:
quidem eò
ius illis con-
llo Punico,
ur, trecen-
um tamen
n obtinet,
im partem
t, dimidio
scilicet

felicit minorum iis, quas in vsu habuere Romani &c. Hæc ille. Cui fidem, & simul eius rei causam adstruit quoque Clarissimus Nauæus in nunquam satis laudato libello, quem Bibliographiam Politicam inscribit, his verbis: *De Vectigalibus* (quo verbo generaliter vti videtur) quoniam res ipsa plerumque à Necessitate dependet aut principum voluntate, quæ Leges non admittunt, inde est, quod pauci admodum reperti sunt, qui de illis Politicum quidquam monere voluerint: Quæ omnia appositè satis & verè; addique potest hæc quoque ratio: Quod Subsidiorum & reddituum cura veluti in visceribus Reipubl. hæreat, & inter maximè arcana plerumq; habeatur, quæ scrutari curiosius & propalare, neque in proclui est cuiuis, neque tutum consultumque semper. Atque adeò ipsem politiarum stropharum & Sophismatum nobilis architectus Machiavellus vix ausus fuit hanc Camarinam mouere, nec determinati de eâ quipiam tradidit. quin eò calliditatis processit, ut pecuniam neruum esse belli negarit *discurs.* in *Liu. lib. 2. c. 10.* quo nomine reprehensus à multis fuit. vid. Klockius *de Ærario lib. 1. c. 1.* Johannes verò Barclaius sub ingenioso Schemate Argenidis suæ liberiori digressione in hunc campum exspatiatur & de Tributorum Necessitate atque Iure quod imperantibus competit, doctè & facundè multa differit *libr. 4. Arg.* Scilicet eà saltem methodo, quæ huic, quo vtitur scribendi genere, videbatur conuenire.

18. Hoc planè obuiam cuius est: Imperium Romanum, sicuti magnitudine & præstantiâ suâ reliqua omnia multis modis antecellit: Ita etiâ hanc circa rem tam egregia & multiplicia nobis reliquissime luculenta exempla, vt nullibi simile quid reperire liceat: Nec defuit hic nobis Virorum doctissimorū industria, qui peculiariis libellis, quos in omnium manibus esse constat, ea recensere conati sunt. An vero funditus rem exhauserint, à quamplurimis merito ambigitur. In solis igitur *Iuris Civilis Romani* Iustiniani Corporis laudatissimis Legibus totius rei tam insignia extare monumenta iuraque omnia ferè descripta, vt vel ex illis in primis decerpri possit, quicquid ad sufficientem huius cognitionem requiratur, non est diffitendum; Adeò vt admiratione meritò dignum sit, haec tenus adhuc fuisse neminem, qui iustâ eà Methodo atq; Ordine plenè complexus sit. Quæ omnia explanare loci quidem huius non erit; delibare tamen pauca omnino conabimur, quæ ad

propositum nostrum maximè facere videbuntur, sed non nisi stri-
ctim & veluti digitum duntaxat intendendo.

19. Quod dum aggredimur notare obiter hic lubet: Nul-
lum ferè subsidiorum genus ab omni æuo reperiri, exceptis iis ta-
men, quorum vel ineptissima turpitudo, vel summa iniquitas in
splendidissimo Corpore sacrarum Legum nostrarum locum inue-
nire nullo modo debuit; cuius non aliqua vestigia vel similitudi-
nes certè in Iure nostro Romano appareant: Id quod duplice
causa euenisse conicere licet: Nam 1. hæc ferè labes dicam, an
consuetudo irrepsit in omnes Respubl. vt, quæ collationum gene-
ra semel fuerint introducta, rarissimè penitus aboleantur, sed natis
semper nouis prætextibus plerumque ita durent, vel reuocentur
intermissa, vt tandem perpetua euadant, & alia pariant extraordi-
naria. 2. Tanta fuit Imperii Romani amplitudo, ex tam diuersissi-
mis Regnis, Rebuspubl. Ciuitatibus atque Prouinciis compositi,
tantæque insuper eius varietates, mutationes & fluctuationes, vt
fieri aliter non potuerit, quin exinde innumeræ pene emerserint
exactionum species, quæ sub Imperatorum Regimine pedeten-
tim veluti in vnam congeriem contractæ & per totum Imperium
sunt diffusæ: Ita tamen, vt in singulis eiusdem partibus, atq; prouin-
ciis fere peculiare quippiam relictum sit & pro re nata aliæ durius
aliæ lenius habitæ, aliæ pluribus aliæ paucioribus, aliæ his, aliæ
aliis oneribus subiectæ fuerint; quemadmodum hæc omnia rem
penitus paulisper insipienti obseruatū admodum erunt faci-
lia.

20. His præmissis, ex supra dictis, thes. 2. 3. 6. & 14. Sub-
sidiorum imponendorum, ordinandorumque iura conuenire
Summæ Maiestati: Cui vt Subditi omnes & singuli lubentissimis
animis præstent obsequia atque auxilia, & rei necessitate & sum-
mâ vtilitate, & naturali tandem debito illos obligari, vbertim con-
stare arbitramur: Quibus, quam planè consonent, Leges nostræ
duobus verbis indicasse iuuabit: Nimirum ex quo à Pop. Rom. in
vnum principem omnia jura Maiestatis sunt collata §. 6. Inst. de
Iur. Nat. Gent. & Ciu. simul & hanc facultatem ipsis solis Impe-
ratoribus cessisse ambigere nemo potest; arguiturque dilucidè ex
l. 10. ff. de Publ. & Vect. ex l. 8. C. Vect. Nou. ne imp. ex l. vn. C. de Super-
indictio. Vnde & à Frider. I. Vectigalia Regalibus accensita leguntur

Cap.



Cap. Vn. 2. F. quæ sint Reg. De Necessitate autem & Utilitate ipsorum, Subditorumq; circa ea officio: præter alia insignia argumen-
ta, quam plurimæ elegantissimæ Constitutiones Nouellæ Impera-
toriæ, in primis Nouell. 8. in prefat. Nouell. 27. c. 1. Nouell. 163. in prefat.
nos edocere possunt: Iam de Receptaculis, quod quicquid præ-
stari debet, est conferendum: Nec non eorundem Præfectis aliis-
que Magistratibus & Ministris, & quibusdam quoque Immunita-
tibus atque Exemptionibus Excusationibusque integri sunt Tituli
partim in Codice partim in Digestis dispositi, vbi etiam peccata,
fraudes & enormitates supra thes. 15. nominata quām prolixissimè
atque distinctim peculiaribus Legibus notantur: quæ omnia
exponere nimis operosum nec nostro proposito congruum esset.

21. Pergimus potius ad ipsorum Subsidiorum species enu-
merandas, eorumque imponendorum modum: Vbi ex th. 7. re-
petimus; Obligari Ciues Reipubl. & Operâ & Opibus: Illâ in primis
ratione Personæ, his ratione Rerum siue Bonorum: Quæ utraque in
Iure nostro quām optimè sunt declarata. Ex obligatione perso-
narum quæ debentur, Munera ferè cum aliqua industria & animi &
corporis intentione præstanta; Quæ ex obligatione rerum, Onera præ-
statione certarum specierum exhibenda, dici possunt. Quæ quidem
Vocabula alias variè & promiscuè sumi non ignoramus: hic tamē
nobis ea ita, maioris evidentiæ causâ, determinare aptius videtur.

22. Utraque vel Ordinaria sunt vel Extraordinaria: conf. su-
prath. 5. & 6. & l. 5. C. de Annon. & Trib. l. 1. in fin. C. de Indict. l. vlt. C. de
Patrim.

Ordinaria sunt quorum præstatio annua seu regularis, perpe-
tua & uniformis est: l. 6. §. 4. de Muner & honor. l. fin. C. de omni agro
deserto: nimirūm ad necessarios & continuos Reipubl. usus insti-
tuta. Iam verò quorum causa certa est, ea & ipsa perpetua esse
dicuntur, teste Philos. lib. 1. poster. Anal. c. 7.

Extraordinaria, quæ non sunt annua & pro ratione Reipubl.
extra ordinem imponuntur & durant, arg. l. 1. & 2. C. de fund. Pa-
trim. & l. 18. §. 3. de Mun. & Hon.

23. Porrò Munera ipsa Vel Publica sunt vel Priuata.

Publica, quæ Reipubl. causâ suscipiuntur: l. 14. §. 1. de Mun. & Hon.
conf. Excell. Hahn. in Not. ad Wesembec. hic. N. 1. & 2. & Magnif. Sinolt.
de Statu Rei Rom. Vol. 2. disp. XI. th. 2. Suntque Ea iterum vel Honora-

ta dict. l. 14. & Gloss. ibid. & animi in primis intentionem requi-
runt, Idque vel sine Sumptu, vel cum Sumtu. Vel In honorata sive
Media, Corporis præcipue laborem requirentia: vel Sordida, quæ
corpus magis delassant fœdantque, & planè seruilia sunt, vid. Arist.
lib. I. Pol. c. 7. & Piccart. ibid. conf. item Hahn. & Sinolt. locis alleg.
& Gail. 2. obseru. § 2. n. 5.

Præterea vniuersa illa Munera publica vel Personalia sunt ad
quæ persona adstringitur proprie, arg. l. II. ff. de Vacat. & Excusat.
Mun. l. 18. in pr. de Mun. & Hon.

Vel Realia seu Patrimonialia, quæ ipsis rebus inhærent, l. I. &
ylt. dict. tit.

Vel mixta quæ partim animi corporisq; laborem, partim sum-
tus exigunt: l. ylt. § 26. & 27. ff. dict. tit. iuncta l. 18. ff. eod.

Priuata, quæ pertinent ad causam priuatam, & publica tamen
etiam, quod & publicâ authoritate imponuntur, & per consequen-
tiā in commodum Reipubl. faciunt, appellantur. Quorum qui-
dem omnium denominations & variæ aliæ occurunt diuisio-
nes, nobis hic breuitatis causa prætereundæ; Plenius & accuratius
videri possunt, apud Gothofred. in Notis ad l. I. §. 2. l. 14. & l. 18. ff.
de Mun. & Honor. Authoresq; modo nominatos, & in primis in Tracta-
tu de Metatis Magnifici & Amplissimi Dn. Doctoris Taboris, Faculta-
tis Iuridice in Celeberrimâ hac Academiâ Senioris, Part. 2. cap. 1. num. 2.
& seqq.

24. Onera, quæ à rebus in primis exiguntur: Vel sunt Merē
Realia, quæ ex Agris, Ædificiis aliisque quibuscunque Rebus &
Possessionibus sine intuitu illorum, à quibus possidentur, petun-
tur. Vel Modo q̄isodam, quæ à Personis præstantur quidem, sed re-
spectu tamen rerum, seu Bonorum. vid. iterum Magnif. Sinolt.
loco alleg.

25. Denique in utrisque tam Muneribus, quam Oneribus
Census plerumque habenda fuit ratio teste Liuio & Halicarnass. lo-
cis supra allegatis. conf. etiam Aristotel. lib. 5. Polit. c. 8. Nam cum
illorum omnia compendia exigi maximè oporteat, secundum nor-
mam æquitatis: Æquitas autem potissimum ex proportione Ho-
minum & Bonorum sit ponderanda: & denique proportio ista in-
uestigari nullo modo possit, nisi singuli ciuium eorumque bona
executiantur, describantur & aestimentur; Instrumentum maximè
idoneum

n requi.
rata sive
ida, quæ
vid. Arist.
ocis alleg.
i sunt ad
Excusat.
nt, l. i. &
im sum.
ca tamen
nsequen-
rum qui-
t diuiso.
ccuratius
& l. 18. ff.
in Tracta-
s, Faculta-
, i. num. 2.
sunt Mer-
Rebus &
r, petun-
n, sed re-
f. Sinolt.
Oneribus
arnasi. lo-
Jam cum
dum nor-
ione Ho-
tio ista in-
que bona
n maximè
idoneum

idonem habitus census fuit, ad cuius formulam Præstationes omnes esse indicendas expresse l. 2. ff. de Censib. & l. 4. §. 1. Eod. cautum est.

26. Census quidem Vocabuli cum diuersa & varia sint significata, quæ præ aliis valde exacte enodauit, modo laudatus Amplissimus Dominus D. Tabor, in Tractatu suo de Altero Tanto part. 3. Art. 9. th. 3. conf. etiam Magnif. Franzkium in Tractatu de Laudemis, cap. X. n. 10. & seqq. Nobis tamen hic eo solùm sensu accipitur, quo præcipue in Iure Nostro denotat recensionem, descriptionem & estimationem Hominum sive Bonorum, atque græcè τιμη, item, ἀπογεα, germ. Schatzung oder Losung indigetatur.

27. Censum autem hunc primum à Servio Tullio Rege, rem saluberrimam Populo Romano, institutum, & regium ab initio munus, iisque pulsis Consulare habitum, tandem verò nec ipsis Consulibus pares se existimantibus tot oneribus, intermissaq; inde per 17. annos Censione Ann. Vrb. 311. creatos Censores, duos numero, fuisse, doctissime ex Liuio & Halicarnassae Lipsius describit simulque illorum & Electionem & Munus & Potestatem, & quotannis fuerint officio functi, exponit in libello de Magistrat. Yet. Pop. Rom. Cap. 18. cui iunge Rosin. lib. 7. c. 10. Quæ tamen omnia ut veluti in tabulâ exhibeam, placet huc transcribere Verba Legis de Magistratu Censorum & Potestate; quam Cicero ut optimam inter alias recenset, lib. 3. de LL. Sic autem habet: Censores. Populi. Aequitates. Soboles. Familias. Pecuniasque. Censento. Vribis. Templa. Vias. Aquas. Aerarium. Vectigalia. Tunto. Populique. Partes. In Tribus. Distribuunto. Exinde. Pecunias. Per. Ciuitatis. Ordines. Partiunto. Equitum. Peditumque. Prolem. Describunto. Coelibem. Esse. Prohibento. Mores. Populi. Regunto. Probrum. In. Senatu. Non. Relinquento. Bini. Sunto. Magistratum. Quintuennium. Habento.

28. Ex his intelligimus duplēcē fuisse Censum: 1. Ciuitatis. 2. Morum, quo in vitam omnium Ciuium, nemine excepto, tam Imperantium quam parentium, tam Patriciorum quam Plebeiorum licebat inquirere Censoribus, errores, negligentiam, vicia, probra notare, absque tamen publica Iurisdictione & coercitione;

præterquam quod Senatu eiicere, iura Ordinum auferre, tribubus
mouere atque Ærarios facere poterant illos, in quos animaduerte-
bant. quemadmodum hæc omnia refert Lipsius loco allegato. cui &
adde Alex. ab Alexandro Dies Gen. & ibi Not. Tiraquelli. Seueritatis
autem exempla vid. ap. Gell. Noct. Att. lib. 4. cap. 20. Vnde Mune-
ris dignitas elucet, quæ tanta fuit, ut non vi quidem & potestate,
sed honore supra ipsos Consules habiti sint Censores, & Suidæ
Munus illud maximum omniumq; honorificentissimum vocetur. Huius
porro Ritum, Censorumque ipsorum Iuramentum & Sacri-
ficium, nec non alia huc facientia ampliter designat Cl. Rupertus
Professor Altorphinus, p. m. in *Animaduers. MStis ad Enchirid.*
Pomp. lib. 2. cap. 4. §. 17. Cœpit a Censura hæc non statim cum priore,
sed cum Censoribus demum, durauitq; eius vigor integer ad Clodii
usque Tribunatum, à quo labefactata: Dio. l. 48. Cic. in *Pison.* &
ib. Ascon. Pedian. restituta fuit A.V. 702. à Metello Scipione, ast im-
minuta valde & mox emortua sub Principibus. Nili quod longo
intervallo retinxisse videtur in Decio, de quo ap. Pollio. in *Valeria-*
no legas. Conatus quoque eandem restituere Theodosius siue
Arcadius, sed à Senatu repudiata est, Symmacho admittente & sua-
dente, ut ipse fatetur lib. 4. Ep. 29. & 45. Lib. 7. Ep. 9.

29. Quantus autem eius usus nostro quoq; æuo esse posset,
vid. in primis Obrecht. in *Secret. Polit.* & Bod. lib. 6. de *Rep.* cap. 1. &
Lips. lib. IV. *Polit. cap. II n. 117.* & seqq. Verum sicuti sub Imperatori-
bus ferè Censores in Delatores degenerarunt, de quibus vid. omni-
no Clar. Bæclerus *Annot. Polit.* in lib. 2. *Hist. Tac. cap. X,* & Plin. *Pane-*
gyr. 34. 1. adde Leuit. c. 5. v. 1. Act. 23. v. 17. 18. 19. Et tandem in Cod. De
Delator. atq; Aristot. lib. 5. *Polit. cap. II.* Ita simul cum his hodiè apud
Romanenses Censuræ illius locum obtinuit sacrum illud siue sce-
lestum Officium (sunt verba Guicciardini) Inquisitio, quæ omnium
accusationum complementum ex Tacito & Apostolicæ authori-
tatis Virga Censoria ex Schaffnaburgensi apud Clapmarium lib. 5. de
Arcan. Reipubl. c. 16. dici meretur conf. Thuan. lib. 3. *Hist. sue.* inter
Nostrates verò morum correctionem hodiè solummodo tenent Sa-
cerdotes & antistites rerum sacrarum, idq; obiurgationibus & coer-
cionibus religiosis; Sed cum publicæ Censuræ notâ & correptio-
ne destituantur facile patet, quanti valeat illorum authoritas. teste
Klockio de *Contribut.* cap. 17. n. 15. ex Sturm, lib. 2. de *Administr. Bell.*
Turc.

Turc. & Bodin. lib. 6. de Rep. c. 1. Apud Venetos autem, Lucenses & Geneuenses eius usum adhuc aliquatenus vigere satis constat, conf.
Bodinum loco alleg.

Cæterum in Iure nostro Censuræ morum authoritas vix illa reperitur. Habuisse autem Imperatores Græcos Census Magistros, non tamen eadem fortè potestate, quâ stante Republicâ, ex l. 41. C. de Episc. & Cler. l. 23. C. de Testam. l. 30. C. de donat. probatur, confer Notitiam Imperii Occid. & Panciroli Commentar. ibid. cap. X. Reperiuntur autem crebrius Quæstores, Censitores, Peræquatores & Inspectores, nec non Discussores. In Cod. Tot. Tit. & alibi passim. Ut ut res sese habeat, existimarem ferè Censorum illorum officium sub Imperatoribus, non tamen mores, quām Bona spectasse, idq; ex legibus modo adductis argui. Interim tamen rationem morum etiam in imponendis Oneribus interdum fuisse habitam, fortè non absurdâ conjectura esset.

30. Properamus igitur ad Ciuitatis Censum, de quo præcipue hic nobis agitur: *Qui est Descriptio siue Æstimatio eorum, quæ in Ciuitate sunt ad publicos usus publica autoritate instituta.*

Fuit autem hic quoque alias Rerum, alias Personarum. Rerum Censu descriebantur omnia Bona Res & Facultates Ciuium debita æstimatione initâ, pro Reipubl. usu. De cuius Professione, Taxatione & fine, vide si placet Colleg. Argentor. Vol. 2. ff. de Censibus. n. 3. & 4.

31. Bona porro Ciuium sub Censum venientia duplicitis sunt generis: 1. *Mobilia*, 2. *Immobilia*. l. 1. §. 1. de Rei Vind. l. 1. pr. de Edil. Edicto. l. 15. §. 2. de Re iud.

32. *Immobilibus* accensentur Ædificia, Agri, Pascua, Metallofodinæ, Piscinæ, & quicquid rerum immobil. præterea fructus præbet Possessoribus. De his namq; ratione commodi, quod inde percipitur, tantum Onera peti arguit. l. 10. ff. de Reg. Iur. conf. Wensembe. de Collectis. Conclus. 5. n. 1. p. 85.

Atque adeò Tributa, quæ his imponuntur etiam variant: Hoc enim nominis accommodabimus Oneribus à rebus Immobilibus exigendis. *Vectigalium* appellatione Rebus mobilibus assignatâ; quamvis & horum significata alias promiscua quoque sint, & modo his modo illis applicentur in Iure nostro.

Ex Agris igitur Tributa, quæ veniunt, vel Decimæ vocabantur:

conf.



conf. Lips. de Magn. Rom. lib. 2. c. 2. Vel Pensio siue Census. hinc Tit.
integ. de Censibus & Agris Censualibus.

Ex Pascuis Scriptura dicebantur. ap. Festum & Lips. ibid. De
Metallis est. l. i. Cod. de Metallariis.

32. Mobilium censui subiacent omnes Res, quæ præter
Immobiles in Commerciū veniunt; quales sunt omnes penè
Fructus ex Immobilibus natū; Nec non Merces, Animalia, Pecuniae
&c. vid. l. i. §. 1. de Re Vind. adde Connatum lib. 3. cap. 2. n. 11. Et con-
siderantur quatenus vel adseruantur, vel consumuntur, vel ven-
duntur, vel quācunq; aliā ratione alienantur & transportantur. His
quæ Vectigalia imponi soleant, vid. gloss. in l. i. §. verb. pend. ff. de publ.
& Vectigal. & l. 16. §. 7. eod. & passim. In specie autem de iis, quæ
importantur vel exportantur Portoria præstanta sunt, de quorum
Iure in primis vid. Grot. de Iur. Belli & Pacis lib. 2. cap. 2. lit. n. 14. conf.
l. 203. de V.S. l. 3. C. de Vect. l. 60. §. 8. ff. Locat. & Cond.

33. Superest Census Personarum qui est descriptio publica
Hominum in ciuitate viuentium absque estimatione, at tamen ta-
men & sexus ratione habitâ, pro Reipubl. Vsi instituta. Qui & ipse
varius est. Censentur enim Ciues 1. Vel proprii sui commodi. 2. Vel
Reipubl. causâ.

34. Prioris modi exempla dabit Romanorum Frumentatio,
quâ populo publicè frumenta, panes, Olea & Vina interdum fuere
distributa; quâ de Re vid. Lips. lib. 2. de Magn. Rom. c. 10. Et Titulo
in Codice nostro de Canone frumentario Vrbis Roma: De annoni Ci-
uilibus. De Frumento Vrbis Constantinopolitane, &c. Accidit etiam
hodiè s̄apissimè, vt annonæ causâ, præsertim in obsidionibus eius-
modi Census agatur, qui maximè Vniuersalis est, & omnes respi-
cit, qui victu indigent.

35. Posterioris Modi iterum duplex est ratio. In Censum
enim Reipubl. causâ, Ciues deducuntur 1. Vel vt Muneru seu Operu
quid præsent. 2. Vel vt ex Opibus subsidia conferant: conf. supr. th. 7.
& 21.

36. Illius quidem generis exempla potissimum in vsum belli
colligere licet in Populo Iudaico, Exodi 12. v. 37. Num. 1. v. 1. & cap.
26. 4. & seqq. 2. Reg. 24. v. 1. Vbi plerumque illi saltem in censum
veniebant, qui armis ferendis apti erant. Et pertinere huc impi-
mis videtur der gemeine Aufbott oder Musterung / Census genus
hodiè

hodiè non infrequens: quod latinè delectum seu lustrationem dicimus. Prolixè de hoc agit Gerh. Buxtorius *Consilio 2. ap. Klock. de Contribut.* pag. 10. Delectus hic qualis apud Romanos olim fuerit vid. in primis Polyb. lib. 6. cap. 17. Et ad hunc Lips. de *Militia Rom.* lib. 1. dial. 2. & seqq. Spectat huc etiam ille *Census*, secundum quem Dignitates & Magistratum officia solent conferri: quo de agit Aristot. lib. 5. *Polit.* cap. 5. & Plato. lib. 6. *de Legibus*. Id quod obtinuisse etiam apud Romanos notum est: Reprehenditur autem Plinio lib. 14. his verbis: *Posterior laxitas mundi & rerum amplitudo damnatio fuit; postquam Senator censu legi coepitus, Iudex fieri censu, Magistratum Ducebat, nil magis exornare, quam census; pessum iere vita pretia, omnesque a maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cedere.* Vbi quidem vitia & enormitates potius notari videre licet, quam ipsum Censum; cuius sane uti non solius rationem hic esse habendam æquum est, ita neque planè illum negligi posse experientia loquitur. Cæterum *de Muneribus* supra actum fuit th. 21. & seqq.

37. Tam *conferendorum Subsidiorum ex Opibus causâ* Census itidem dupliciter distingui potest: 1. Quo patrimonium simul & fortunas in professione Census cogebantur indicare subditi; ut pro illius estimatione contribuerent: 2. Ut nomina duntaxat describenda darent imponendæ singulis capitibus pecuniae causa: Vtramque huius Census speciem *Capitationis* fere nomine insigniri Ioh. Baptista Vicecomes ICTus Mediolanensis ad L Vn. C. de Capit. Ciuium Censibus eximenda adserit; priorem *Voluntariam*; quâ Collectæ indicuntur: posteriorem *Imperatam*, qua Tributum Capitu exigitur, appellans.

38. Suntque ambæ vel *Vniuersales*, quando omnes omni-
nō non solum Ciues censentur, sed & Vxores simul & liberos,
& servos, vna cum omnibus, quæ singuli possident, bonis in
tabulas deferre coguntur; Vel *Particulares*, quando neque Personarum omnium, sed quorundam solum, & plerumque Patrum fa-
miliæ tantummodo Census habetur; neque omnia Bona, sed vel
Immobilia duntaxat, vel ex Mobilibus aliqua simul describuntur.

39. Et *Vniuersalis* quidem eiusmodi Census, nominatim
ratione patrimonii, quamuis ex historiæ antiquæ penu exempla
vt petamus, fortassis non facile occurret: Attamen eius usum no-

steris seculis non planè esse incognitum liquet: Adfert eius exemplum de Gallia ex Froissart. tom. I. cap. 155. Besold. de Arar. Cap. IV. n. 3. Et in Angliâ eundem obtinere tempore necessitatis in Thesauro Politico ab Honorio edito refertur. Quin vel in ipso Imperio nostro Romano hunc aliquando etiam locum habuisse, & ut porro haberet in aliquot Comitiis acriter disceptatum fuisse, acta publica testantur. Nam contribuendi ille modus secundum Denarium communem, nach dem gemeinen Pfennig, qui diu in Imperio obtinuit: vid. Recess. in primis Anni 1495. & seqq. & Incomparabilis ICti Bened. Carpzovii Tractat de Lege Regiâ cap. 8. Sect. 5. n. 10. nihil planè differt à nostro illo iam memorato; Vbi videlicet omnia omnium & singulorum in Imperio viuentium nomina atque bona ita recensita fuere, vt pro habitu sui quisque patrimonii, nemine excepto, neque Clerico, neq; Laico, neque Domino, neq; Seruo; neque Masculo, neque Femina, certam summulam pecuniae in subsidia aduersus Turcam, & alias Imperii necessitates penderet. Sed paucula ex ipso Recessu apponi in rem erit: Bekennen wir daß Wir verordnet und gesetzet: daß die nachstommenden vier Jahr lang/und nicht länger/alle und iegliche Menschen/sie seyen geistlich oder weltlich/ Frauen oder Mann/ wes Bürden/ Standes/ Ordens oder Wesens die seyn/ niemand aufgeschlossen durch das H. Reich ganz aus/ Jährlich geben/ wie folget/ &c. Adeò vt neque Principes ipsi fuerint immunes, vid. §. Fürsten Geistliche und Weltliche/ &c. Atatis tamen rationem aliquam habitam fuisse expressè declarant verba: Welcher aber unter 500. gulden vermöchte/ und funfzehn Jahr seines Alters erlanget hätte/ der soll einen vier und zwanzigsten Theil eines gulden geben. Atque sic Iudeis quoque impositus in singula capita Aureus Rhenanus fuit, ita tamen vt secundum vitas patrimonii integrum summam ipsi inter se distribuerent exoluendam; Verba ipsa addam: Es sollen auch die vier Jahr alle Juden/ Mann und Frauen/ jung und alt/ iedes einen Rheinischen gulden geben/ und in einer ieden Stadt/ Markt/ Dorff oder Gegend/ dieselbe einwohnende Juden aufgezeichnet und Ihnen aufgelegt werden/ die Anzahl solcher Summen unter ihnen nach ihrer iedes vermögen und gelegenheit anzuschlagen/ und förder den hernach geschriebenen Commissarien zubezahlen; Qui collectandi modus Anno primū 1471. in Comitiis Ratisponen.

nam



(nam antea, haud aliter uti supra th. 7. annotatum fuit de Persis,
nihil nisi donaria quædam obtulisse singulis annis Regibus &
postea Imperatoribus in Comitiis, Subditos Status atque Ordines
Imperii ex Siegerbergo Hincmaro, & Annalibus Francicis obseruauit
Lehm. Chron. Spir. lib. 2. cap. 9. conf. cap. 44. n. 4. & lib. 4. cap. 22.
p. 364.) fuit introductus, teste Antonio Campano lib. 6 Epist. 22.
Decretum est, inquiete, proximiis diebus (de Comitiis Ratisponen-
sibus Anni 1471. loquitur) de stipendio militum, ut qui mille habent
in prouentibus equitum unum conducant: peditem, qui quingentos; qui
prouentus non habent, ex Capite computatio sic fiat, ut quibus mille sint
aurei quinquaginta ex prouentu habere censeantur: Agrestes duos de
viginti denarios viritim soluant, &c. Duravit autem ferè (quamuis
pro vario rerum & Ordinum in Imperio statu aliquoties fuerit vel
interruptus, vel ex parte mutatus) usque ad Annum 1603. quod de-
mum Collecta secundum Romanam expeditionem, Nach dem
Römerzug sub Imperatore Rudolfo II. in Comitiis Ratisponen-
sibus fuit substituta & continuata hactenus, quandocunque ne-
cessitas id tulit. vid. Recess. dicti Anni vers. Dicitur deinde weniger aber.
& seqq. conf. Consultis. Limnaeum de Iur. publ. lib. 4. cap. 7. Num. 54.
& Additiones ibid. In quibus simul Consilia & Vota pro vtroque
genere in aliquot Comitiis ab Ordinibus edita enarrat. Obiter
ex vtroque illorum modorum annotare hoc possumus; collectandi
debitum secundum Nummum communem omnia omnino
Imperii membra, tam principes, quam subditos æquè obligasse:
posteriori autem modo ex norma Matriculæ sive Romanæ expe-
ditionis in aliquos duntaxat, & quidem primum in solos principes
atque Status eorumque Bona Cameralia quæ vocant: post verò in
subditos tantum onus omne deuolutum esse; adeò ut sublati
vniuersali isto censu, hisce temporibus ille Particularis plerumque
tum ratione personarum, tum ratione bonorum usu vigeat, & eo
quidem modo, ut in his vndique prouentus in primis ponderentur
commoda. Quæ sanè ratio & olim obtinuit apud Romanos non
solum, sed & Græcos & plerasque alias gentes: & hodiè vbiique
obseruatur ferè. In Celeberrimâ autem hac Argentinensium
Civitate plenissimi & vniuersalissimi Census exemplum habe-
mus, quo & omnes omnino qui in Republicâ aliquid bonorum
tenent, adeò ut neque artas neque ordo eximii quipiam habeant,

& cuncta etiam illorum bona tam mobilia quam immobilia, non solum illa ex quorum prouentu locupletiores sunt possessores, quod in aliis præcipue spectari antea dicebatur, sed & reliqua omnia, & utensilia quævis, maxima minima, cuiuscunq; pretii, sub censum mittuntur. Ita ut quisque Ciuium siue centum, siue pauciores florenos in bonis habeat, ad minimum tres florenos imperiales, pro reliquis autem singulis centenis totidem solidos annuatim conferat, sicque à minimo trium florenorū censu usq; ad maximum nonaginta librarum, ultra quem, quantas cumque opes possideat, nemo quicquam contribuit, fiat gradatio. Cui penè geminum de Ciuitate Spirensi refert Lehm. in Chron. lib. 7. cap. 102.

40. Præter ea, quæ sunt allata, id quoque monendi hic sumus, fieri aliquando posse, vt pleraque hactenus enumerata Censuum genera, veluti vna vice & quasi simul expediantur & accommodentur Reipubl. Vt reuera obseruatum Romanis fuit; In illo enim Censu, quo de supra th. 27. fecimus mentionem & Mores examinatos, & Ciuium, nec non illorum, qui ad hos pertinebant, Nomina descripta; Possessiones atque Bona æstimata; indeque Dignitatum atque Ordinum discrimina, Munera atque Onera, Tributa & Vectigalia, Delectus & Militaria officia, & reliqua ferēmina, que belli pacisque tempore requirebantur, fuisse constituta manifestum est; de quibus singulis, cùm & supra dictum sit & ipsius Census vberiores delineationes ex Rei Romæ scriptoribus præter eos qui allegati iamdum sunt, in primis Sighonio, de Antiquo Iure Ciuium Rom. P. Manutio, de Ciuitate Rom. peti possint; huic rei diutius non immorabimur. Prætermittendum hoc tamen non est: Quod Censu isto Romano profacultate bonorum etiam Ciuium certæ classes, & in classibus Centuriæ fuerint ordinatae, ita ut qui plus possidebant prioribus, qui minus inferioribus accenserentur. Illi vero, qui nullo planè aut exiguo nimis censu æstimabantur Capiteensi dicti sunt; Ideò videlicet, quod neque in albo Centuriæ haberent nomen, neque aliter quam pro capite suo tributa penderent, neque militiae adscriberentur, nisi belli tempore ad tutanda mœnia; conf. Pompon. Læt. de Magistr. Rom. c. 21. Iul. Exuperant. de Bell. Ciuil. & Lips. de Milit. Rom. dial. 2. Non absimile quid de Atheniensibus Potideam inhabitantibus: Eodem illos censu fuisse viros, qui apud Romanos erat, & si quis nihil in bonis habuiss-



habuisset eius estimationem capitis duabus minis stetisse, Aristoteles refert lib. 2. Oecon. c. 1. vide sis etiam eundem morem apud Spiritenses in Lehmanni Chron. lib 7. cap. 102. Hanc tertiam Capitatio-
nis speciem facit & Capitationem iustum vocat ante nominatus Io-
hann. Baptist. Vice Comes; quæ nimurum per viam censendi pro-
cedit & caput utri quid estimabile onerat tributo.

41. His ita disquisitis ad Imperatam, & propriè sic dictam Capitationem paululum enucleatius considerandam progredimur; Et de ipso Etymo ut paucula præmoneamus, sciendum est, huius vocabuli vix aliquem usum fuisse apud melioris ætatis Authores; In Iure vero Civili expressè pluribus locis legitur, non tamen eodem semper sensu: Significat enim 1. interdum tributum quod agris imponitur; & alias Iugatio seu annonaria functio vocatur: quo significato extat apud Saluian. Massiliens. lib. 5. de praesente DEI jud. Ut cum possessio ab his abscesserit, Capitatio non discedat. & l. 16. C. de Episcop. & Cler. Capitationis sarcina dicitur. Confer l. 9. C. de Act. Empt. & Vend. Cuius appellationis causam adfert Brissonius, quod Iugatio dicatur respectu Iumentorum, Iumenta vero Capita vocentur apud Amm. Marcell. conf. l. 1. §. vlt. l. 2. l. 3. ff. de Rei Vind. Quorum iugo uno, quantum arari terræ poterat in die, id sub Iugationis nomenclatura in descriptionem veniebat. 2. Accipitur pro Tributo quod in singula animalium capita imponitur. l. vlt. C. de Immun. n. m. conced. conf. gloß. ad l. 8. C. de sacrosanct. Eccles. hincque expressè Capitationem aliam humanam, aliam Animam legimus. l. 6. Cod. Theod. de Conlatione donatarum vel Relevatum possess. Reperiunturque in Nouell. 17. c. 8. in pr. ζυγονέφαλοι, id est, qui Capitationem & Iugationem simul præstabant vid. Not. Goth. ibid. conf. Nouell. 8. cap. 2.

42. Nobis strictiore sensu denotat hic duntaxat illud Tributum, (voce hac latius ac supr. th. 32. sumta) quod in singula hominū Capita indicitur; quale reperitur l. vn. C. de Capitat. Civium Cens. ex. Item l. 9. C. de Agric. & Cens. l. 1. C. Ne Rust. ad ull. Obseq. l. vlt. §. 29. ff. de Mun. & Hon. l. vlt. ff. de Cens. §. 7. & l. 36. C. Theod. de Decurion. l. 4. de Censu sive adscriptione Eod. Dicitur q; alias Tributū Capitis l. 3 ff. de Cens. Pecunia pro Capitibus l. vlt. §. 8. ff. de Mun. & Hon. Capitis Pensatio & norma Capitis. l. 16. C. de Agr. & Cens. Tributum Capitulare l. 14. Cod. Theod. de Extraord. sive Sord. Mun. Ponitur etiam simpliciter

Caput pro Capitacione. ap. Sidon. Apollin. & Capita diminuta pro Tributo capitis ap. Pacat. in Panegyrico. Græcè οπικεφάλειον ap. Hesych. & Aristot. l. 2. Oecon. cap. 1. & ap. Cic. lib. 5. Ep. 16 ad Atticum: **Audiuiimus nihil aliud nisi Imperata δημιουρα soluere non posse.** κεφαλίων, ap. Zenonam & Cedrenum. Et φ. ποταμούς απομένους, Corporum Tributum, ap. Appian. referente, Bulenger. de Vect. Pop. Rom. Cap. 13. Germ. Kopfsteuer. Haupsteuer. Kopffelt. Hauptfleßt.

43. Hanc definimus: **Quod sit Subsidium tributorum auctoritate publica subditis vel sublevanda necessitatibus causa vel in signum subiectionis pro r̄su Reipubl. in capita, nulla facultatum, sed aliqua aetatis etiamen habitare ratione, aequabiliter imperatum.**

44. Diuidi potest variis modis; Tum ratione subditorum quibus imponitur, Tum ratione modi, quo debet imponi, Tum ratione finis, cuius gratia sit imponenda.

45. Ratione subditorum vel in uniuersum omnibus hominibus, absque discrimine, vel sexus, vel dignitatis, seu status; Vel quibusdam duntaxat indicitur Capitatio. Prioris quidem modi rationem exhibet Lex. 3. ff. de Censib. Lex. 10. Cod. de Agric. & Cens. vbi Virorum & Fœminarum & Liberorum Capitatio refertur, additâ ætatis determinatione. Talis procul dubio fuit imperatoris Augusti Luc. 2. quâ præter Professionem Nominum & Bonorum in singula capita singulos 4. bacos seu 8. lestertios fuisset imperata Klockius putat lib. 2. de Ærar. Cap. 79. n. 3. refertque ex Suidâ Lipsius Quadringtonas & decem Myriades, mille & septendecim homines in illâ recensione fuisset numeratos; quem tamen numerum veluti per exiguum ipse reiicit. De Scipione in Prouinciis Orientalibus exercitum tenente scribit Cæsar lib. 3. de Bello Civil. In Capita singula seruorum ac liberorum Tributa illum imposuisse. Et de Vespasiano assertit Dio. libr. 66. statim in principio: Ab omnibus Alexandrinis, tam præcisè pecuniam illum exegisse, ut neque Mendicis percicerit. Simile ferè de Commodo, idem tradit: lib. 72. propè circa fin. Vbi nec Senatores ab hoc onere fuisset liberos indicat. Fortassis huc etiam referri possent, saltem per similitudinem quasi, Portoria, quæ in Traiectibus, Portaria, quæ in Portis & pontibus, Pedagia, quæ pro saluo conductu, Geleidsgelt. Ut & quæ pro Schedula sanitatis, quam vocant, seu fidei publicæ, ut in Gallia, & Italiâ præsertim, vndeque est moris, exolui oportet, quæ omnia sane absque

ita pro
eiov ap.
icum:
e. neq.
orum
Cap. 13.
autho.
signum
ua etat.
torum
, Tum
inibus,
usdam
n exhib.
um &
deter.
Luc. 2.
a capi.
us pu.
admir.
in illâ
ti per.
bus ex.
singula
asiano
andri.
cis pe.
e circa
For.
quasi,
ponti.
æ pro.
lia, &
a sane
bsque

absque exceptione æ quæ petuntur à singulis, nulla additâ propor-
tione, siue diues, siue pauper; siue vir, siue fœmina; siue Dominus
sit, siue seruus; Et quamvis alia ex causa hæc pendantur, quâm no-
stra Capitatio propriè dicta: certo tamen respectu ab illâ non adeò
differre videntur.

Posteriori modo, quo quibusdam solummodo Capitatio iniun-
gitur, spectatur interdum vel *Sexus*: quod factum esse in Populo Iu-
daico *Exod. 30.* & reliquis locis supra alleg. Solosque masculos sub-
iisse censum & pro suo cuique capite imperatum fuisse ab ipso
DEO dimidium sicuti, adserit Riuetus in *Comment. ad Exod. c. 30. v. 13.*
confer. Bod. lib. 6. de Rep. c. 1.

Vel spectatur *Ordo siue status*. Sic in quibusdam Provinciis
Rom. Imperii solos Rusticanos, exceptis Urbanis, Tributum ca-
pitis soluisse, constat ex *l. vn. C. de Capit. Ciu. Cens. ex.* Quod &
ipsum institutum fuit apud Rom. à Seru. Tullio teste Dionys. Hal.
lib. 4. c. 14. Vbi tamen hæc obseruanda est differentia, quod hic et-
iam impuberes capitatione onerarit, qui Iure Civili ab eâ sunt im-
munes. Præterea in aliis Vrbibus solos plebeios huic exactioni sub-
fuisse ex dictâ illâ ipsa Lege; & *l. 4. Cod. Theod. de Censu siue Adscri-
ptione. lib. 13. tit. 1.* arguitur. In aliis enim & reliquo omnes huic
fuisse obligatos disertè probatur ex *l. 36. de Decurionibus. libr. 12.*
tit. 1. Cod. Theod. Ad Particularē hunc Capitationis modum et-
iam reduci illud tributum potest, quod pro Nascentibus & Mo-
rientibus, & pro iis qui togam virilem sumebant; quandoque fuit
solutum: *Quod de Romanis narrat Dion. Halycar.* loco mox alle-
gato. quamvis fortè commodius priori accenseatur. Lepidum est
quod de Candale Mausoli Ptæfecto resert Aristoteles *lib. 2. Oecun.*
Quod nimirum Lycios videns gestandis Capillis delectari, pro illis in ca-
pita certam summam pecunia imperarit; quam isti libenter præbue-
rint. An tale quid fortè hodiernis quoque nostris moribus usui es-
se possit, alii videant.

46. Ratione Modi, quâ imponi debeat, Capitatio notan-
dum est: Alias illam aequalē omnibus omnino; qui eâ censemur;
aliás certis veluti gradibus indici. Hanc reperimus in Legibus no-
stris, *l. 10. C. de Agris. & Cens. & ap. Dionys. Halicarnass. lib. 4. cap.*
19. supra alleg. ubi dilucidè, in singula capita confere debere ob-
seruamus: Sed aliud Viros, aliud mulieres, aliud impuberes &c.

IIam

Illam exhibet sacer Codex in Exodo supr. dict. cap. Vbi omnes æqua-
liter dimidiū scilicet inferebant. Nec non Matth. 22, 19. & 17. v. 24. quæ
didachma erat, & ab ipso Christo præbita fuit. vid Grot. in Nor-
hic & Montacut. in Antidiatrib. advers. Buleng. ad annum 33. sect. 31. ad.
de Freher. libello de Numism. Censu Ioh. Seld. de Iure N. & G. lib. 6. c. 18.
Iniquior hæc est si nimia fuerit; qualis hodie ferè apud Turcas pro
singulis Capitibus Christianorum Ducatus Vngaricus exigitur,
teste Cominio & Bodino. Tantum quoque à Romanis poscebat
in singula capita Aistulphus Longobardorum Rex ap. Sigon. de
de Regno Italia. lib. 3. A. Ch 653. His absurdior longe fuit Frothi Da-
nerum Regis imperatio, quâ pro quolibet membro singulorum
Hominum certam petuit pecuniam. vid. Crantz. lib. 1. cap. 36. in Da-
niâ. & Saxon. Gram. lib. 6. In indicendæ Capitationis modo etiam
Temporis habendam esse rationem & pro eo quoque diuidi illam
posse per se constat; Iure Ciuii id quidem annum est; quemadmo-
dum etiam apud Romanos sub Seruio Tullio. Populus Iudaicus
an illam singulis annis intulerit, an iis duntaxat vicibus, quibus ha-
bebatur census, variè Eruditis disputatur, quos conciliare huius lo-
ci non est: vid. Grot. ad Matth. 17. v. 27. Item Riuetus, ad Exod. 30.
Et Samuel Petitus in var. Lectionibus lib. 2. cap. 1.

47. Ratione Finis diuiditur Capitatio, vel in eam, quæ in
signum subiectionis pendi debet: vel in eam, quæ sublevandæ publicæ
Necessitatis causâ. Illius æquitas partim ex Iure summæ Maiestatis
probatur: Si omnibus Subditis tolerabilis & leuis quædam in Capi-
ta collatio æqualiter atq; comiter imponitur. qualis reuera illa fuit
in Hebræorum Republ. ab ipso DEO iussa in redemptionem ani-
marum ipsorum, vt clatè pronuntiat summus Monarcha Exod. 30.
v. 16. indeque Λύτρον ψυχῆς vocatur LXX. interpretibus: Ni-
mum testabantur eâ Capitatione Israelitæ se à D E O redemptos, in-
quit Grotius in Notis ibid. Quo nomine David grauiter peccauit
instituto Censu populi & non persoluto pretio imperato, 2. Reg. 24.
v. 1. Sicuti hanc historiam interpretantur Iosephus, Hegesippus &
alii, teste Grotio ibid. conf. Bod. lib. 6. de Republ. cap. 1. Talis & illa
fuit, cuius sæpè mentionem fecimus, apud Dion. Halicarn. lib. 4.
c. 19. sub Seruio Tullio; Partim ex Iure Victoriae dependet; iuuatque
tum ad factorum sumptuum restitutionem, tum ad securitatem
Imperii tuendam. Quales ferè pleræque Capitationes fuere à Po-
pulo

pulo & Imperatoribus Rom. deuictis Prouinciis impositæ : Nimirum à Scipione Carthaginensibus , ap. Appian. in Lybicus. Ab Augusto Ægyptiis : teste Iosepho de bello Iudaic. lib. 2. c. 16. & Hegesipp. de Excid. Vrb. Hieros. lib. 2. c. 9. A Vespasiano Iudæis, ap. eund. Ioseph. Zonaram & Xiphilinum. Calabris & Siculis à Leone : ap. Zonaram Annal. Tom. 3. Ab ipso Iustiniano nostro. Zanis, virtute Theodori Præfecti deuictis, vid. Agath. lib. 5. Hæc quæ subleuandæ publicæ Necessitatis causa iubetur , vel Ordinaria est, vel Extraordinaria : conf. Supra th. 5. & 6. Ordinaria, l. 3. ff. de Censib. l. 15. Cod. de Agric. & Censu. & passim in Iure nostro indigitatur. Augustum enim cum Vectigalia omnia Prouinciarum sustulisset, tributa Ordinaria instituisse alia in Agros, alia in Capita, præclarè adserit Siganus, de Antiquo Iure Italiæ lib. I. cap. 21.

Extraordinaria, quâ casibus duntaxat subitis succurritur, exemplum in Vet. historiâ præbet Augustus apud Dion. lib. 55. Cum forte palatum incendio periisset , inquit author , multiq; multa largi- rentur, nihil præter aureum & singulis conuentibus, à priuato homine denarium accepit. Sicuti eandem in Poloniæ regno tempore summae necessitatis receptam esse, Klockius scribit, lib. de Ærar. cap. II. n. 33. Et in Belgio quoque Fœderat. Prouinciarum Ordines eâ fuisse vlos superioribus annis , author Commentarioli de Fœder. Belg. Prou. Statu , qui Buxhornius fuit, indicat. Huius generis & illa est Capitatio, quæ in nostro Imperio sæpè à Iudæis exigitur, tempore belli aduersus Turcam. conf. supra thes. 39. Et ad hanc quoque reducendam durantibus nuperis Germaniæ nostræ motibus maximorum periculorum summus terror adegit Status quosdam Imperii, tam Principes, quam Ciuitates, quibus aliud remedium sustinendæ Reipubl. non permisit atrocissima rerum omnium perturbatio; Pro sui quisq; igitur regiminis & salutis ratione , Subditi in singula capita tributa pendere adducti sunt: Quo defacto, uti calumniarum præsertim in principes perfœcundum est hoc æuum, non defuere, qui pessima quæq; prædicarunt & miris modis exagitarunt, veluti rem nouam, & Tyrannidi proximam, hanc collectandi rationem ; quæ quidem res mihi ansam dedit huius disquisitiunculæ.

48. Recensitis igitur variis Capitationis generibus, iam de Iure eius paululum dispiciendum erit , idque eâ breuitate quâ summâ poterit. Et ne longius digrediamur, ab ipsa Extraordinaria, quam ultimam vidimus, telam ordiemus: Hanc autem eius

D

esse

esse naturæ, vt ab ab extremâ necessitate dependeat, ex dictis constat; quæ quidem Necessitas, vti nullâ lege potest determinari, ita omnis æquitatis veluti Magistra audit. Hinc ea maximè iusta & salutaria esse Reipubl. quæ summè sunt necessaria, rationis est. A necessitate porro tali quis eximendus venit? vel potius quis eximi se patiatur? Sed dari posse eiusmodi tempora, quâ nullâ meliori ratione subsidia ferre liceat Reipubl. quam hoc extraordinario Tributo, & quæ attulimus exempla probant, & ipsa experientia nos docuit; Pro habitu enim facultatum & ex Censu modum conferendi omnium æquissimum esse extra contouersiam est. Sed huius ineundi & difficultatem & innumera alia, quæ rem circumstant, incommoda si quis considerat, facile inueniet, saepius ab illa normâ esse deflectendum. Docere id possunt abundè tot Comitiorum Imperialium Acta, in quibus, referentes Magno Carpzouio, de Leg. Reg. cap. 8. Sect. X. n. 1. nunquam non de Contributionibus & contribuendi negocio consultatur; Et tamen de Censu isto reducendo hactenus conuenire non potuere Ordines: adeò vt & in Comitiis Anni 1641. aduersus illum adhuc in contradictrio, alterum modum secundum expeditionem Romanam præualuisse, adserat Matthæus Wesenbeccius ad ista Comitia legatus Electoralis Brandenburg. in Tractat. de Collectis, conclus. 7 n. 3. Similiter res sese habet in reliquis exactiōnū generibus, & præcipue in Portoriis ipsisque Vectigalibus, quæ pro exportandis & importandis mercibus exiguntur: nota res est, non carere illa mille incommodis & interdum summâ iniuitate, atque inter tyrannica habita quoque fuisse: Lipsius ex Herodiano indicat lib. 2. de Magnit. Rom. cap. 1. Hincq; adeò ipse Plato ex Republ. sua illa exesle voluit. lib. 8. de LL. Et Augustus fortè nullam aliam ob causam planè aboleuit, vti dictum est thes. præced.

De Ordinariâ, quam diximus non plus fortassis dubii erit, munitâ, præter rationem necessitatis seu vtilitatis publicæ, quæ hic eadem ferè, authoritate Imperatoriâ Legibus supra allegatis. Sunt enim multa in Republ. quorum ratio omnes æqualiter respicit: qualia sunt Rerum sacrarum Constitutio & Conseruatio: Viarum & Pontium refectione & similia: A quorum sumptibus & Tributis vti nullum genus hominum cuiuscunque dignitatis ac veneracionis meritis aut privilegiis immunitatis eximi L. 4. Cod. de priuilegiis domus Augusta, & L. 10. C. de Annos. & Tributis ipsem Imperator

Etis con-
nari, ita
mè iusta
onis est.
quis exi-
à melio-
dinario-
fa expe-
x Censu
rouersi-
ia, quæ
ueniet,
unt ab.
referents
am non
ur; Et
potuere
n adhuc
em Ro-
ista Co-
tis, con-
generi-
expor-
on care-
, atque
indicat
l. sua il-
ob cau-
bii erit,
quæ hic
. Sunt
espicit:
Viarum
tributis
eratio-
privile-
mpera-
tor
tore edicit: Ita omnes æqualiter ad ea conferre debere nihil iniqui
habet: præcipue si & hic quædam distinctio graduum, de quâ th.
46, obseruetur. conf. Nouell. 43. c. 1. §. 1. & Bornit. de Ærar. lib. 6. cap. I.
atque Klock de Ærar. lib. 2. cap. 80. n. 35, & 41.

De Eâ, quæ in signum subiectionis ex Iure Victoriæ imperatur,
non est ut multa dicamus, cum & omnia DebELLatorum Bona &
Vita quoque ipsa veluti in dominio sint Vincentis, conf. Grot. lib. 3.
cap. 8. & cap. II. de Iur. B. & P.

In signum subiectionis Principi quæ datur, quid iustius illâ,
cum & DE VM authorem & Christum ipsum imitatorem ha-
beat, Omnis iustitiae & æquitatis fontem? Quid tolerabilius,
quam ei, cui subes, Maiestati, veluti in recognitionem imperii, vel
statis temporibus, aut singulis etiam annis per vitam nummulum
offerre? quemadmodum & reliquarum rerum tributa in recogni-
tionem vniuersalis Dominii exhiberi arguento est, l. 2. Cod. sine
Censu vel Reliquis fund. comp. non posse. Et iam à multis secu-
is in vsu fuit das gemeine Schöß oder Personen-gelt / vti expresse
nominatur Lehmanno in Chronico Spirensi, lib. 7. cap. 100. Verba
sic habent: Schöß und Personen-gelt noch in voriger steigerung/
dazu iedes paar Eheleute wochentlich 6. Pfennig / einzelige Per-
sonen Kinder und Gesind iedes drey Pfennig: quæ sanè pecu-
nia pro personis, quam dicit, non nisi nomine differt à Capitatio-
nistributo. Hæc autem omnia arguunt Capitationem in se &
simpliciter consideratam, non planè iniustum esse, nec aliter in eâ
peccari ferè, quam iis, quos supra th. 15. notauimus modis, in reli-
quis collationibus. Hoc tamen præcipue hic cauendum est; vt
ne, sicuti Capitationis sarcina si æquâ & eâ quâ diximus ratione si-
mul cum reliquis subsidiis, pro vsu Reipubl. indicitur, tolerabilis
& expers iniuriæ est; Ita, si fortè illa increbrescat nimia & veluti
mensura seu norma habeatur totius rei subsidiariæ, (quemadmo-
dum secundum simplicem collationem Expeditionis Romanæ
hodiè in Imperio, & constitutam summam, des gemeinsen Stall-
geltis in ciuitate hac Argentinensi, omnes collectæ ferè metiuntur
atque imponuntur, interdum ea duplicando, triplicando &c.) illa
iniquissima eaadat & nullis modis excusabilis, vtpote quæ tali mul-
tiplicationi minus sit apta. Quæ quidem determinare accuratius
quæq; circa Tributorum moderationem multi clarissimi Viri mo-
nuere huc transcribere, & nostro negotio accommodare lubenter

supercedemus. Videatur imprimitis Lipsius lib. IV. polit. cap. II. Nec non prolixè Besoldus in Tractatu de Aerario. Bodinus lib. 6. de Repub. c. 2. &c. Quibus nil nisi Vetus prouerbium à Iurisconsulto de ag-
cipiendis xeniis magnâ cum dñs p̄tē adhibitum, addimus, & o-
mnibus ærariis loco Inscriptionis damus: ἡ τε πάντα, ἡ τε πάντοτε,
ἡ τε ὁδὸς πάντων: Neque omnia, neque omni tempore, neque ab
omnibus. l. 6. §. 3. de Off. Procons. & Leg.

49. Tandem, quæ Capitationi, quo minus in bene consti-
tuta Republ. illi locus esse debeat, obiici possunt, diluenda erunt;
& ad Tria ferè rediguntur: 1. Primum enim perquam iniquum vi-
detur, & qualiter omnes adigi ut contribuant, qui non & qualia
nec possident, nec in Republ. emolumenta habent; Sed cum in
Capitatione partim gradus quoque certos constitui, eamque ipsam
pro vnu Reipubl. tolerabilem planè esse imperandam; Partim in
nullo genere tributorum adeò exactè ad rigorem iustitiae omnia
adæquari: Ipsamque præterea Necessitatem lege non vllā coëceti
posse, antea deduximus valeat hic πολυτέλλων Iuris: Rempubl.
veluti pupillam, extra ordinem iuuari motis esse, l. 3. Cod. de Iure Rei-
publ. Adhibeturque illud remedium, quo in vno grauatus in alio
releuari potest: probante gl. ad l. eum qui, ff. de Iure iur. Deinde ignomi-
niosum planè & vile habitum semper fuit Liberorum hominum
capita sub æstimationem cadere; Atque adeò omnes ferè gen-
tes hoc contribuendi genus valde detrectarunt, & à nemine non
scriptorum summâ cum detestatione illud refertur: Nimirum pro
Germanis, cum Imperator Julianus iisdem hanc sarcinam impo-
nere tentasset: Prius se animam amittere velle, quam hoc fieri sinere,
respondisse Florentium Duce ex Marcellino Lehmannus recenset
Chron. Spir. lib. I. cap. 50. Et ex Tacito: Fristorum eandem ob rem-
seditiones & immanem sauitiam aduersus Drusum eiusque mi-
lites idem subiungit ibid. Nec ignota sunt ap. Dion. Britanico-
rum in Neronem & Alexandrinorum in Vespasianum hoc ipso
nomine conuitia, sicuti & illa quæ Cæsar, lib. 3. de Bello Civil. in Scipionem cumulat: Vtq; Cicero non vno in loco in illam inuehitur,
conf. Lips. lib. 4. pol. c. II. & Bernegger. ad Suet. August. cap. 25. Odit
autem huius causam præcipue esse duplē arbitror, 1. Quod in
Censi Romanorum Capitis tributum, vel illis solummodo relin-
quebatur, qui ex fæce plebis & omnium vilissimi atq; pauperimि-
erant, sicque reuera, vcluti æstimabile quid, illorum capita descri-
beban-

11. Nec
de Repub.
to de ag-
nus, & o-
πάντοτε,
neque ab
ne consti-
da erunt;
quum vi-
a æqualia
d cum in-
que ipsam
Partim in
æ omnia
i coëceti
kempubl.
Iure Rei-
cus in alio
e ignomi-
nominum
ferè gen-
nina non
irum pro-
m impo-
eri finere,
s recenset
m ob rem-
is que mi-
3. Britanno:
hoc ipso
il. in Sci-
uehitur;
25. Odii
Quod in
do relin-
uperrimi
ca descri-
beban-

bebantur, & pœna loco erat, si ex Senatu aut reliquis Ordinibus quis ad Ærarios & Capitecensos reiiciebatur ; 2. Quod victæ ple-
tumque gentes eā onerabantur, interdum pœna, interdum impe-
ri causa. Alias enim Capitationem illam non modo non semper
sub estimationem vocare caput, ex supra dictis constat, sed &
in maxime illustribus duabus Rebuspubl. Hebræorum & Roma-
norum ab initio fuisse receptam, notum est. Et neque Floren-
tium, neque Frisios, neque Britannos, neque Alexandrinos de Ca-
pitatione in specie atque tantum, sed partim ob nouiter, & contra
mores inducta, partim nimium exaggerata, tam huius, quam reli-
quorum tributorum omnium onera plerumque conqueri, liquet.
3. Tandem auctoritate Imperatoriâ, l. vn. Cod. de Capit. Ciuit. Cens.
exim. Alii illam planè abolitam; Alii ex Vrbibus & nominatim à
plebe Romanâ tamen rejectam esse volant; quemadmodum alter-
atram harum opinionum omnes sequuntur, qui vel Legem hanc
explicârunt, vel de Capitatione in scriptis aliquid tradiderunt,
quos recensere libens intermitto. Verum enim uero si per mode-
stiam & eam, quam omnibus defero, sumnam obseruantiam,
audere quid licet mihi, certè diffiteri non possum, neutri harum
sententiarum ut subscribam, rationibus non leuibus me vrgeri: Et
quidem subsidia per capita conferendi modum illâ lege vnicâ non
planè inhibitum, sed in Iure nostro licitum esse, ex aliis Legibus ha-
ctenus nobis passim allegatis, & præcipue ex l. 3. ff. de Cens. & l. 10.
C. de Agricol. & Censit. ipso Sole clarissimus est; Omnes autem Vrbes &
vniuersam plebem Romanam an respiciat Lex eadem, dubitari
exinde potest: 1. Quod nec Romæ, nec in reliquis Italiæ Provinciis
Ciues vñquam ante Constantini tempora capitum tributum soluisse
ex probatis Authoribus colligere quis possit: atque ad eo superflu-
um fuerit ab illo eximi, à quo immunes ante exticere. 2. Neque
Rubrica satis conuenit: Notum enim in vulgus est, voce illâ, Ci-
vium, multos alias apud Romanos denotari, præter plebē. 3. Quod
Lex illa directa est ad Eusebium, non tanquam Præfectum Vrbis;
sed tanquam Præsidem Lyciæ & Pamphiliæ, sicque de plebe, earū
duntaxat Ciuitatum, loquitur. Decepti autem sunt Interpretes
procul dubio ambiguitate illarum notarum V. P. autumantes iis
designari Vrbis Præfectum, cum non nisi Virum Prætorium indigi-
tent. Quod & passim habetur & probatur eâ ratione, quod Euse-
bius hic non posset Vrbis Præfector & Præses simul Lyciæ atque
Pamphiliæ.


Pamphiliæ esse; posset autem ijs Prouinciis præsidere, cum iam aucto-
rea Prætor alicubi fuisset, ideoque honoris gratiâ Vir Prætorius vo-
caretur. Indicant idem similes notæ in aliis locis scriptæ, verbi gra-
tiâ: V. C. quæ Virum Consularem, id est, qui alias Consul fuerit,
significant. 4. Contrarium arguitur, ex l. 36. Cod. Theodos. de Sord.
Muner. lib. 12. tit. 1. Vbi ab Imp. Constantio & Constante vniuersis
ex Comitibus & Præsidibus Plebeia quoq; Capitatio indicitur, qui
sane diu post Constantinum fuere. Quin ipsum Iustinianum
Zanis deuictis id tributi indixisse supra th. 47. monuimus, & Fride-
ricum I. ad idem Mediolanenses reuocasse ex Sigonio de Regno Ita-
liae lib. 12. discitur. Sed in desuetudinem tamen ferè abiisse, & inpri-
mis in Imperio nostro Romano Germanico tributi huius usum
hactenus rarum fuisse à multis seculis, & libenter fatemur, & felici-
tati temporum nostrorum merito gratulamur. Tantum abest, ut
hac adsertione de illo superinducendo, aut in aliorum locum resti-
tuendo egisse videri velimus. Nimirum satis superque gemiscit sub
onere exactiōrum Misera Patria, & DEVS potius orandus, vt sibi
aliquando reddatur illa & dulcissimæ pacis desideratissimis bonis
lætè frui & plenè queat. Hæc autem in medium proferre, cum in-
genii specimen dare Nobiliss. & Ampliss. IURIS CONSULTORUM
Collegii autoritate incumberet mihi, ea præcipue me ratio, quam
supra th. 47. tetigi, mouit; hunc saltem in finem, vt ostenderem, nō
temerè statim de Consilio Imperantium etiam in negocio Tribu-
torum in sequiore partem esse pronuntiandum, & veluti Tyran-
nica illa exagitanda, si fortè præter morem rem gerere necessitas
postulat: Nimirum aliqua Tributorum nomina infamat sola pere-
grinitas, aliqua iniuisa reddit ipsorum hominum insolentia. Quem-
admodum fusè & egregiè hæc, sicuti hanc in rem alia præclara
multa, differit, πολιτωτας Οὐρανος Bæclerus ad Herod. 2. c. 4. & in
Commentar. ad Plin. Panegyr. cap. 9. Quo benevolum Lectorem re-
mitto, atq; si fortè alicubi hallucinatus fuero, & festinationem ni-
miam & ingenioli tenuitatem deprecans, materiæ quoque diffi-
cultatem, in quâ & ipse Lipsius magnus Antiquitatis Explorator,
dubius hæsit, uti fatetur de Magnit. Rom. lib. 2. c. 2. faciliorem
mihi veniam esse impetraturam, planè
confido.

DEO TRINVNO SEMPERNA GLORIA!



(X225 7025)

1017



Farbkarte #13



20

96543

DE SVBSIDIIS IMPERII
A SVBDITIS DEBITIS IN GENERE
ET IN SPECIE
DE PECVLIARIE ORVNDEM MODO
CAPITATIONE
(vulgò) Kopffsteuer/
DISQVISITIO

QVAM

SVB PATROCINIO ADORANDAE TRINITATIS
EX DECRETO MAGNIFICI, AMPLIS-
SIMIQUE IVRIS CONSULTORVM COL-
LEGII IN CELEBERRIMA VNIVER-
SITATE ARGENTINENSI

PRO SVM MIS IN VTROQVE IVRE HONO-
RIBVS ET PRIVILEGIIS RITE
OBTINENDIS.

Publicè & Solenniter examinandam proponit
SAMVEL HVNDIVS MISN.
ad D. 7. Octobr. horis & loco consuetis.

ARGENTORATI,
TYPIS FRIDERICI SPOOR.
M. DC. LIV.